

1286

DEODUE
MEDITATIO S. EPISTOLÆ
D O M I N I C A E
Q U I N Q U A G E S I M A E

Additis S. Patrum dictis, Quæstio,

numq; aliquot decisione, ad uberiorem textūs, cum o-
pus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem,

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia.

P R A E S I D E

D N . A E S C H I L L O P E T R A E O ,

S. S. Theol Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore:

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horas solitie

Ad diem 3. Julij, Anni 1653.

M. ERICUS CH, MYRICIUS VV-Gotbus.

Anselmus in h. l.

Quenam loqui diversis Linguis præcipue desiderabant Corinthii, propterea donum hoc
in primis ostendit Apokolus sine charitate non professe.

Hiero: in h. l.

In futuro, sola Dei Charitas & Angelorum & Sanctorum omnium permanebit. Mac-
gis ergo est quod semper erit, quam quod aliquando cessabit. Item in Patre & Filio
& Spiritu S. Fides stabilis est, additamento enim opus non habet.

A B O A E ,

Excusa Typis Acad. apud Viduam Petri Wald. An. 1653

VIR O Admodum Reverendo

DN. ERICO BRUNNIO,

Sacro S. Theologiæ & Phil. Doctori celeberrimo, Su-
perintendentiæ Gothoburgensis amplissimæ Su-
perintendenti gravissimo. Patrono suo re-
verenter suspiciendo,

ut Et

V I R I S

Reverend. & Clarissimis

Gymnasij quod Gothoburgi est Le
ctoribus dexterimis, Consistorij Ecclesiastici ibidem
Adfessoribus, Promotoribus suis honorandis

N E C N O N

V I R I S

Vitæ integritate & Doctrina conspicuis,

Reverendis Præpositis & Pasto,

ribus in eadem Superintendentia, Fautoribus suis
indubitatissimis

Hoc Exercitium Academicum concionatorium, in
signum reverentie, observantiae declarandæ hono-
risq; contestandi, suiq; promovendi spem dedicare,
ausus est, & voluit, Auth. & Resp.

E. CH. MYRICIUS

¶
O O O O O O
¶

M E D I T A T I O T E X T U S:
DOMINICÆ QUINQUA-
G E S I M Æ,

In Sanctæ & Summæ Laudandæ Trinitatis, Patris, Filii,
& Spiritus Sancti nomine.

Chariſſimi, diligamus nos in vicem: *Quia Charitas ex Deo est: Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, Et cognoscit Deum,* 1. Joh. 4. v. 7. Quibus verbis, continetur elegans & pernecessaria admonitio, de charitate mutua exercenda, instituta ad omnes in universum homines ut se in vicem mutuo diligent, mutua præstent beneficia verbis & operibus sponte & prompto animo. Prohibetur itaq; à S. Johanne, odio & rancor adversus proximum, quo se homines invicem absumunt & perdunt. Vocat Apostolus odium vetus fermentum malitia & pravitatis, Ideoq; expurgandum i. Cor. 5. v. 8. Commendat charitatem nobis à suo authore, quem Deus agnoscit, & docet omnes à Deo nasci & regi hanc exercentes, & præterea etiam eos omnes magnū hunc inde percipere fructum, pervenire videlicet eo ipso, in cognitionem Dei. De hac autem cognitione, dicit Christus Joh. 17, v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoseant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Inter alia, quib; res qualibet estimantur & in pretio habentur, non minima hæc sunt, quod v' delicet præstante habeant authore, & eximū fructum emolumentum &

commodum. Inter has res merito numeratur Charitas: De hac autem hac vice aliquid uberior dicendum est.

O Remus etiam DEum ut hanc Epistolam ita meditari queamus, ut cedat in nomine Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrine, & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in aeternam beatitudinem: Dicamus igitur: Pater noster, &c.

**EPISTOLA I. ad Corinthios, cap. 13. a. v. 1,
usq; ad finem.**

SI linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum a resonans, ac cymbalum tinniens. Et si habeam prophetiam, & moverim mysteria omnia, omnemque scientiam: Et si habeam omnem fidem, adeo ut montes loco dimoveam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si insumam in alimoniam omnes facultates meas, & si trasdam corpus meum ut comburar, Charitatem autem non habeam, nihil utilitas capio. Charitas patiens est, benigna est: Charitas non invidet, charitas non est procax, non inflatur non est fastidiosa non querit que sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de injustia sed congaudet veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, sive prophetiae abolebuntur sive lingue

cess

cessabant, sive scientia abolebitur. Ex parte enim cog-
noscimus, & ex parte prophetamus. Ast ubi vene-
rit quod perfectam est, tunc quod ex parte est, abolebi-
tur. Quum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sen-
tiebam, ut puer, cogitabam. At ubi factus sum vir,
abolevi puerilia. Cernimus enim nunc per specu-
lum in enigmate: Tunc autem facie ad faciem: nunc
cognosco ex parte: Tunc vero cognoscam, quemad-
modum & cognitus sum. Nunc autem manet fides,
spes, Charitas, tria haec: Sed maxima in his Cha-
ritas.

Instituit enumerationem per longam seriem Spiritua-
lium donorum S. Apostolus, quorum varietatem ma-
gnam esse, sed spiritum horum omnium authorem & di-
pensatorem unum ostendit, cum admonitione ele-
ganti ex similitudine à membris in uno corpore coale-
scientibus multis, quæ omnia, portant, sustentant, curant
atq; fovent ultra collatis operibus mutuis ipsum corpus:
Sic homines, ob dotes sibi collatas, sibi non placeant, vel
alter alteri invideat; Sed quisq; suas in commune con-
ferant commodum, hoc docet in superiore capite; In
hoc verò recitato textu, extimulat Corinthios suos ad
studium Charitatis, sine qua, reliqua Dei dona cuncta,
vel maximè eximia coram mundo, tamen coram Deo
frustranea esse docet: Ideoq; per institutam collatio-
nem charitatis cum eminentissimis Dei donis, ijs im-
primis, quæ in omnium admiratione versantur: Ut po-
te primò cum eloquentia, eaq; non vulgari, sed plus quā
humana, adeoq; prorsus angelica. Item cum prophe-
tia h.e. facultate prædicendi futura & dextre interpretans

di oracula & mysteria Dei in sacris comprehensa literis;
Itemq; cum cognitione mysteriorum: Fide miraculo-
fa: Misericordiae operibus, Martyrijs: Quæ omnia,
ne suis quidem possessoribus, nedum alijs hominibus tâ-
tillum prodeesse aut conferre docet, si non Charitas illo-
rum omnium unica sit moderatrix. Tandem subjun-
git hujus descriptionem: Quod videlicet Charitas sit
patiens, benigna, non invidens, non procax, non infla-
tur non cogitans malum, non gaudens de injustitia, sed
congaudens veritati, omnia sufferens, omnia sperans,
omnia sustinens. Ultimò instituit rursus colla-
tionem charitatis cum nonnullis prænominatis exi-
mijs donis quoad durationem, quo respectu, es-
tiam declarat Charitatem palmam obtinere. Ad-
monemur ex hoc textu, de prima & secunda Decalogi
tabula: Ut Deum ante omnia & proximum sicut nos-
metipsoſ diligamus. Item excitamur ad sedulò oran-
dum: Ut regnum Dei adveniat. Et voluntas Domini
fiat. Sumamus hæc verba, aliquantulum penitus
consideranda, eaq; in duas distribuamus.

P A R T E S:

1. *De Charitatis commendatione à necessitate,*
& utilitate multiplici.
2. *De illius præceteris virtuibus Christianis du-
ratione*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & sim-
pliciter tractare constituimus: Omnipotens & aeternus
Deus, Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedi-
cat, cum itaq; utiliter & fructuose cedere faciat.

PR. I.

P R I M A P A R S.

In qua meditamur:

I. Charitatis collationem, pri-

mò cum dono lingvarum: Hanc describit Apostolus
hoc modo; Si lingvis hominum loquar & angelorum,
charitatem autem non habeam, factus sum es resonans
ac cymbalum tinniens. h. e. Si ea mihi esset facultas
loquendi, quæ in perpaucis hominibus reperitur, & cum
angelis, spiritibus illis purissimis communis est, qui cū
spiritus sint, lingvam non habent; Tamen eis lingua
tribuitur, legimus enim ipsos cantare Deo hymnos in
laudem & gloriam Eta. 6. v. 3. Et magnalia nostram salu-
tem concernentia, lingvis expeditissime, hominibus salu-
taria persuasisse Luc. 1. Itaque Angelorum lingvam ma-
gis admiramur quam scrutamur in illis. Hanc faculta-
tem etsi Paulus habuisset, & alij cum illo; Tamen se &
alios eodem dono donatos, rotundo ore profitetur,
si abfuerit Charitas, instar æris resonantis & cymbali tin-
nientis esse: Quorum plurima quamvis saero usui di-
cata, tamen nihil quicquam proficiunt, nisi populum ad
saera in sacris ædibus peragenda convocant, ipsa foris
manent & solum sonum edunt, qui non raro in auram
absq; peculiari fructu & effectu dissipatur; sic & ego, vult
dicere Apostolus, & omnes hac quamvis eximiâ & an-
gelicâ facultate loquendi instruissimi essemus; Nul-
lus tamen inde perciperetur fructus verus, cum abfuerit
Charitas, & Fides quæ ejus mater est; Sine quibus, nihil
quantumvis eximium, aut singulare, Deo placere, aut
ad proximum aliquis inde verus redire potest usus: Nam
charitatis affectu destituta oratio, in quemvis finem a-
lium

lium potius tenderet quam ad utilitatem proximi promovendam quod tamen tota tabula Secunda Decalogi spectat & injungit.

L. C. Eloquentia est à Deo data hominibus, sacrum etiam literarum præconio percelebrata: Nam inter propitijs Dei dona, non ultimò loco recenset Esaias oratores claros & prudentes, Isa. 3. v. 4. Quantum utilitatis, non solum in Politia, quod Salomon ostendit prov: 16- v. 24. Dicens: Favus mellis sunt jucunda verba, dulcedo animæ, sanitas ossium; Sed etiam in Ecclesia: Nam Doctoris munus est non solum simpliciter auditoribus proponere doctrinas salutares, sed easdem propositas etiam contra quosvis insultus defendere & contradicentes refellere: Majori cum felicitate & successu utrumq; facit, si sit proptitudine lingvæ juxta eruditionem præditus. Si vero haec facultas viro malo, ab affectu dilectionis alieno contigerit: Quid fuerit aliud, quam gladius in manu furiosi? Indomitam lingvam depingit egregiè S. Jacobus cap. 3. à versu 3. usq; ad 11. attendendus proinde erit usus lingvæ rectus: In omni sermone, hunc sibi homo scopu n unicè præfixum habeat, ut Dei gloria illustretur, veritas ut plurimum in profundo latitans eruatur, & ad facienda Deo grata, proxim⁹ flectatur. Et sit per omnia, lingua nostra, & Eloquen-
tia omnis, Charitatis affectu tincta, quo omnia effata sint directa in Dei gloriam & proximi salutem promovendam: Dicamus itaq; semper cum Psalmista, Do-
mine labia mea aperias, ut os meum annunciat laudem tuam!

Secundò collationem charitatis cum dono propheticō, cui etiam alia excellentia dona conjungit Apostolus de quo ita loquitur: Et si habeam prophetiam

& noverim mysteria omnia, omnemq; scientiam: & si habeam omnem fidem adeo ut motes loco dimoveam, charitatē a. non habeam, nihil sum. Hic aliquot eximia dona, recenset Apostolus, quæ etiam sine charitate nihil proficere testatur. Prophetia hic complectitur, & dīva pars illam admirabilem prædicendi futurarum rerum even-tus citra humanæ conjecturæ adminiculum, ex sola divi-ni spiritus illuminatione provenientem. Tum etiam facultatem dextrè interpretandi scripturas, Utrumq; est mirificum & gratiosum Dei donum: Quemadmodum etiam cognitio mysteriorum, quā quis articulos fidei sublimiaq; regni cœlestis mysteria, eorumq; profunditates, sic intimè perspectas tenet, ut contra divinæ veri-tatis hostes quoslibet, ex inconcussis fundamentis scri-pturæ sacraæ tueri valeat. Fidei vox hic significat, si-dem signorum, seu virtutem miraculorum edendorum. Hæc omnia docet Apostolus nihil esse, si absit charitas.

Tertiò collationem charitatis cum misericor-diæ operibus, & animo spontaneo moriendi & susti-nendi quævis tormenta. De quibus ita in textu Apostolus: & si insumam in alimoniam, omnes facultates me-as & tradam corpus meum ut comburar; charitatem a. non habeam, nihil utilitatis capiam. Erogare de facul-tatibus suis in usum pauperum, est opus si ex fide & chari-tate promanet, valdè præclarum & passim in scripture nobis demandatum; sin verò fiat absq; fide & conser-quenter absq; charitate, ex præpostero studio sanctitatis ostendenda potius quam amoris proxini declarandi, tum nihil proficit is, qui vel universas suas opes, in meras eleemosynas convertit. Et sic de martyrio, si quis vel invicto & intrepido animo, quævis supplicia sufferre, & exquisitissima tormenta sustinere prælunat, quin fiat

charitate Dei, orthodoxæ religionis, fideiç; ejus, publicæç; utilitatis contestandæ & afferendæ causa: nihil inde utilitatis redundare docet Apostolus⁹.

L. C. 1. Ex collatione charitatis cum his varijs donis & virtutibus discimus, secundum salvisieam fidem in Christum videlicet unicè sectandam esse charitatem tantopere nobis ab Apostolo commendatam: Quippe sine hujus moderatione, non possunt reliqua etiam existentia dona Dei, vel probari Deo, vel ad suos pervenire usus, quò sunt à Deo destinata; sed haud raro (quod dolendum est) convertuntur in exitiosa & infesta arma, quibus incolumitati & saluti proximi quam maximè nocetur... Ante omnia igitur induiti simus charitate Col: 3. ¶ 14, quæ in communem usum totius corporis, Ecclesiæ, singulorumq; membrorum conferat & dispenset dona divinitùs concessa... Ad quod Apostolus similitudine membrorum in præcedente capite proposita omnes cohortari voluit,

L. C. 2. Apparet in specie, eleemosynas & liberalitatem erga pauperes, quam præcipit Dominus passim in scriptura, Deut: 15. ¶ 11. Esa: 58. ¶ 7. & alibi, maxime opere placere Deo. Promittit enim & in his locis & alibi largam retributionem Psal: 41. per integrum psalmum, continentur largissimæ promissiones retributio- nis. Prov: 19, 17, mutuat JEHOVÆ, qui gratiore largitur tenui, & beneficium ejus rependet ipsi.

II. Charitatis descriptionem

& quidem PRIMO à declaratione quid efficiat in hominibus, vel quomodo homines p̄i ejus beneficio selegerant. De quo ita in textu: Charitas patiens est, benigna est, congaudet veritati, omnia suffert, omnia credit,

dit, omnia sperat, omnia sustinet: h. est, sunt homines
charitate donati, longanimes, non sinentes se facile
ad iram vel animi perturbationem commoveri. Et de-
niq; reddit cultores suos humanos, in mortibus svaves,
& quæ citra offensionem Dei & insignem calamitatem fa-
mæ & laetionem conscientiae sufferrri possunt, cetera o-
mnia suffert redimendæ pacis & concordiae gratia, ne
animi hominum, mutuis dilectionibus distrahantur.
Et optima quæq; credit, sperat & exspectat de quo vis,
nec diversum sibi facile persuadere sinit, ni prius dece-
pta fuerit. Et ne turbetur Ecclesia aut res humanæ,
multa tolerat charitas, expectans mitigationem malo-
rum, & emendationem eorum quæ pijs aduersantur.:
Congaudet veritati, i.e. latari homines facit super veri-
tatem, & in hoc, cum audiunt recte & candidè agi cum
alijs.

L. C. 1. Monemur hinc charitatem Christianam,
non nisi nuda gloriatione, sed ipsa re & opere: Neq;
posse esse otiosam, cum fides cui semper innititur synces-
ra charitas sit per eam efficax Gal: 5, 22. hinc & charis-
tatem non in lingua aut verbo, sed in opere & veritate
positam esse testatur Joh. 1. Epist. cap. 3.

L. C. 2. Ex hac descriptione Paulina, dignoscun-
tur qui sint charitate vera donati: Videlicet omnes ij,
qui adversa & quicquid pressuræ ac afflictionis obvenit,
& quo animo sustinent, expectantes à Deo ipso, cuius vo-
luntati ac beneplacito omnia subjecta sunt, liberatio-
nem suo tempore, h. e. ipsi beneplacito. Et qui Con-
cordiae student, in conversatione & quotidianâ vita, o-
mnem detestantes morositatem, præbentes se gratos &
jucundos, pacem colectes quantum fieri potest, cum o-
mnibus hominibus, Rom: 12, v. 18. in summa a: provide-

procurant honesta, in conspectu omnium hominum.:
Nemini malum pro malo reddunt.

Secundò, Enumerationem eorum quæ charitas fugit. De qua ita Apostolus: Charitas non invidet, non procax est, non inflatur, non fastidiosa est, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de injustitia: h.e. non facit homines invidos, qui proximo, sua dona vel corporis vel animi vel fortunæ invident. Non agit quid temerè, petulantè aut nequiter adversus proximum. Non tumet admiratione sui ipsius, non turget fastu contra alios, nec insolenter eis insultat, sed intra modestiæ limites sese continet, suo se metitur pede ac modulo. Etsi charitas à semetipla inscipiat, atq; sic homines efficiat tales ut se quoq; diligent & sua commoda promota cupiant; tamen hoc eavet sedulò ne suum commodum quærat cum aliorum damnno & detimento. Non incitatur aut exasperatur ad iram subitam, non meditatur mala, nedum studio cinnat ea, aut cogitationes animi eò intendit aut dirigit ut famæ aut incolumitati proximi insidias struat, hæc omnia à charitate Christiana sunt alienissima.

L. G. Fugienda itaq; sunt hæc vitiæ à charitate alienissima, societati humanæ perniciofissima: his enim quis infectus, non potest non aliud (quod canum ac ferarum est) modere, imò devorare, & sunt talia, quæ excludunt homines à regno Dei, 1. Joh: 5. v. 15. Et cum charitas durabit in futura societate cœlesti & æterna, prout in seq: audituri sumus, in hoc seculo erit inchoanda & sedulò urgenda; Qui enim in hâc vita non diligit proximum suum, dum est cum eo in via, Matt: 5. is nunc quam ad perpetuam illam sanctorum charitatem mustuam pertinet, 1. Joh. 3: v. 14. 15.

SECUNDA PARS.

In prima parte vidimus charitatis necessitatem ac multiplicem utilitatem: Nam in altera, ejus præceteris virtutibus Christianis durationem respiciamus.

In qua meditamur ejus vicissim collationem.

I. Cum prophetijs & lingvis:

Prophetiae abolebuntur in futuro seculo: ministerium n. verbi abrogabitur simul etiam usitata illa ratio prophetae explicandiq; scripturam. Cessabunt & linguae vñz. varietas lingvarum: siquidem non loquentur electi in altero seculo differentibus linguis: cum lingvarum diversitas, originem traxerit à peccato, Gen: ii. sed una lingua, unaq; voce, Deum celebrabunt in perpetuum; Charitas vero non quam excidit, id est, nunquam definit sed in omnem æternitatem durat.

2.dò Cum Scientia, quam Apostolus testatur quoq; abolendam: h. est. modus ille sciendi, qui in descendendo discendoq; consistit, & ab infimo gradu ad altiorrem subinde per incrementa contendit, nec tamen ad exquisitæ perfectionis fastigium, in hac vita, homo nudus ullus pertingit. Hi, successivæ scientiæ, habitus, hic cognoscendi modus, hæc manca & imperfecta notitia, in illa æternitatis luce locum habebit nullum. Quod ulterius explicat Apostolus ajens: Ex parte cognoscimus ex parte prophetamus; Ast ubi venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.. Quátenus nobis scripturæ beneficio revelatur omne consilium Dei, Act: 20. Et quátenus cognitioni nostræ nihil deest, quod ad consecrationem æternæ salutis pertinet, eátenus etiā ipsa quoq; notitia nostra, perfecta dicitur.. At si confe-

ratur cum vitæ alterius scientia, haud abs re dicitur notitia nostra partialis: Cognitio enim quæ manifestabitur in vita beata, erit omnibus numeris atq; modis completa & perfecta, qua ex oriente, prior illa penitus evanescet, haud aliter atq; splendor alicujus stellæ disparet exorto sole.

L. C. Hic monemur de diversissimo statu utriusq; vitæ præsentis scilz & futuræ: in hæ vita opus est institutionis & doctrinæ adminiculo, opus est ministerio verbi, prophetia seu interpretatione scripturarum, opus est ut à primis elementis doctrinæ cœlestis initio facto progrediamur ad majora &c. Eph: 4, 13, 14. Hæc ipsa qualiscunq; perfectio, ad quam, in hac vita, multo labore ac sudore pervenitur, multa laborat imperfectione, si eus fiat ad aspectum vitæ venturæ collatio: Non tamen ideo studium cognitionis & scientiæ in hac vita contemnendum, sed eò ferventiori animo contendendum. In altero verò seculo, Deus ipse, erit omnia in omnibus 1. Cor: 15, 28. Non ibi proficiemus successivâ illa cognitione: tunc enim non docebit vir virum, nec quisquam dicet proximo suo, cognosce Dominum, sed erimus omnes à Deo docti: Versabitur notitia nostra in contemplatione perfecta & æterna Dei. Christus enim inquit: In illa die, non interrogabitis me quicquam Joh: 16, 23. Visuri quippe DEum facie ad faciem, sicuti est, 1. Joh: 3.

II. Similitudines ad illustrandum ingentem hanc diversitatem cognitionis & scientiæ in hoc & futuro seculo, propositas: Alteram desumit ab astate puerili & virili: Alteram à visione in speculo representata & oculorum h.e. facie ad faciem facta. In prima simulat scientiæ in hac vita imperfectionem pueritiae; perfectionem verò, cognitionis & scientiæ olini manifestadæ, maturitati virili, Quemadmodum puer aliquis loquitur sapit

sapit & sentit puerilium; Vir autem factus, confirmato iudicio, sequitur sapit, sentit, consulat & agit ea, quae virum decent. abolitis puerilibus constantiis am in omnibus præ se fert: sic in hoc seculo, de mysteriis regni celorum, more infantium balbutimus. Hæc infirma cognitio abolebitur, quando iri maturitatem virilem alterius seculi succedererimus, & in æternam illam absoluamq; contemplationem fuerimus introcessi. Altera similitudo à visione desumpta, hæc est: Quemadmodum si quis intuetur speculum, præter faciem suam directè speculo oppositam, per speculum à tergo quæ posita sunt videns, sed non ita liquido ac si oculotenuis ea aspiciat, h. e. oculo directè opera posita: Ita nunc in verbo, tanquam in speculo velut à tergo intuemur Deum secundum id, quod Moysè dictum est: posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, Exod: 33. v. 23. Ubi vero claritas alterius seculi effulserit, videbimus Deum, amoto verbi speculo facie ad faciem sicuti est.

L. C. 1. Similitudines hæc duæ, declarantes diversitatem magniam esse cognitionis & scientiæ in vita præsentis & futura, admittunt omnes insignioribus donis ornatos, de modestia, ut icilicet quilibet eos rurum modestè de se sentiat; nullus unquam homo, ad tam perfectionem in doctrina, in hac vita pervenerit, cui nihil addi per assiduum studium possit.

L. C. 2. Cum audiamus omnia in hoc mundo esse tanquam puerilia citò scilicet ablenda, non nimis anxiis his mundanis inhabemamus, trahemus ea tanquam fragiliæ. Letemus nos, dum nimis premissemus his meditatione futurae vita, ubi cursus erunt nullæ, ubi nihil nisi constans & perpetuum gaudium indesinenti charitate florebunt,

III. Trium horum, Fidei scil. Spei & Charitatis collationem. De qua inquit Paulus: Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc, sed maxima in his charitas. In his verbis, confert Apostolus tria hæc inter se, & præfert charitatem fidei & spei. Diligenter itaq; notandum, quæ ratione hoc faciat, cum Fides sit mater charitatis & perficit ut charitas Deo placeat: Quandoquidem quicquid ex Fide non est, peccatum est, Rom: 14. v. 23. Hic respicit Apostolus ad durationem horum: Fides & Spes habent suum locum in hac vita, & cum illa abolebuntur: Quod in hac vita nobis fides est, id erit nobis in futura aspectus: 2. Cor. 5. v. 7 per fidem modo ambulamus, non per aspectum. In hac vita speramus bona futura, in altera futura feliciter & perpetua, non expectabimus bona ventura, sed præsentibus plena possessione potiemur & perficiemur: erunt ibi omnia bona præsentia, scilicet ac contemplationi beatorum exposita perpetuo.

L. C. Hinc excitamur ad dilectionem Dei, qui misericordia & dilectione nostræ, hæc ineffabile & æternum bonum nobis præparavit per nostrum filium suum dilectum, Dominum Iesum Christum: & ad gratiarum actionem ei semper offerendam, ac preces sine intermissione fundendas,

ut lar.

ut largiatur nobis fidem, charitatem & spem, aq; in nobis augeat hic tempore, ut cum nobis emigrandum sit ab his ~~eternis~~, bona quæ speravimus perficiantur eternaliter. Formulae huius rei peti possunt ex Psal: 107. v. 1. 2. Psalm: 106. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Clementissime Deus Pater cœlestis, quandoquidem charitas itam necessaria sit, ut sine illa, nulla dona & virtutes nobis profint & tibi placeant, infunde nobis per Spiritum Sanctum Charitatem, ut te supra omnia, & proximum nostrum sicut nos ipsos diligamus, & ut videamus faciem tuam in eterna & cœlesti letitia, per & propter Dominum nostrum I. Ch., qui tecum & Spiritu S. vivit & regnat in secula seculorum, Amen.

Q U A E S T I O N E S.

I.

AN ex verbis Pauli: Charitatem autem non habens, nihil sum: Probari possit Fidem Charitate informari, & fidem solana non justificare nisi chartas ad sit? Resp. Manifestam vim faciunt Pontificij verbis Pauli: Quippè qui hoc loco, non de fide justificante, sed de fide miraculorum verba facit. Multi enim in primitiva Ecclesia ediderunt miracula, qui tamen non verè credebant in Christum, nec etiam salvabantur: de quibus loquitur Christus, cum inquit: Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo demonia eiecum? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tu nunc, (inquit Christus) confitebor illis: nunquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniuriam, Matth. 7.

2. An hoc argumentum Pontificiorum valeat?

Maxima virtus potissimum justificat. Charitas est maxima virtus: Ergo potissimum justificat? Resp. Non agitur hic de justificatione, sed de duratione donorum Spiritus Sancti: Et fides non justificat quatenus virtus est, quæ tribuit Deo laudem veritatis & bonitatis: sed quæ tenus Christum mediatorem (qui pro nobis sufficiētissimè satisfecit) apprehendit.

